

datarius justam causam habuit differendi restitutionem equi commodati, v. g. quia legitime impeditus fuit, quominus determinato tempore, et expleto usu, ipsum equum restitueret, casum fortuitum præstare non teneretur. *Deducitur ex leg. Illud 40. ff. de hæred. petit. l. Utique 16. ff. de rei vind. l. Deo eo 12. § Si post, ff. ad exhibend. Pirhing lib. 3. decis. tit. 15. num. 8.* (43. Et dummodo equus commodatus similiter periturus non fuisset apud Dominum, si suo tempore et loco restitutus fuisset. (44. Nam si equus commodatus eodem modo periturus fuisset apud Dominum, etiamsi suo tempore, et loco restitutus fuisset; tunc morosus Commodatarius non teneretur ad compensandum damnum, quia ratione illius moræ, licet culpabilis, non fuit causa interitus equi commodati, sive damni illati, siquidem equus eodem modo periturus fuisset etiam apud proprium Dominum; *leg. Si plures 14. in fine ff. Depositi; Navarr. cap. 17. Manual. num. 80. Sylvester verb. Commodatum. qu. 4. Azor. par. 3. lib. 7. de Commodato cap. 7. qu. 3. § quæ res; Molina tract. 2. disp. 295. n. 4. Lessius lib. 4. de justitia, et jur. cap. 7. num. 38. Engel. tit. de pastis § 7. num. 26. Pirhing lib. 3. decret. tit. 15. num. 8. Reiffenstuel ibid. num. 32. et alii.* (45. Hoc tamen est intelligendum, si Dominus non erat equum venditurus; tunc enim nihil ei deest, quia si fortassis interea Dominus equum sibi restitutum vendidisset, non apud se, sed apud alium periisset, et sic cum Commodatarius ratione suæ culpabilis moræ talem jacturam equi causasset Commodanti, teneretur de damno. *Glossa ad reg. 20. Juris in 6. verb. mora sua; Pirhing l. 3. decret. tit. 15. de Commodato sub num. 8. Zoesius ff. de Commodato. n. 11. et alii.*

(46. Datur etiam quartus casus, in quo Commodatarius præstare debet casum fortuitum, nempe si res commodata tradatur æstimata Commodatario. *Glossa in l. Si ut certo 5. verb. Periculum, ff. Commodati, vel contra; Bartolus ibid. et alii.* Et ratio est, quia Commodati non fuit æstimatio, nisi ut de illius pretio teneatur Commodatarius, si forte non restituat, nempe talem æstimationem non exigit Commodans, nisi ut de ea fiat securus in quoslibet futuros casus, aut de illius valore, si forte pereat; adeoque Commodatarius accepta æstimatione eosdem etiam casus fortuitos a se præstandos suscipit, ut Jure definitum est; *l. Si ut certo § 3. ff. Commodati vel contra, ibi: Si forte res æstimata data sit, omne periculum præstandum est ab eo, qui æstimationem se præstaturum recipit; l. Actio 1. § 1. ff. de æstimatoria actione: lib. 19. t. 3. ibi: Æstimatio periculum facit ejus qui suscipit: aut igitur ipsam debet interruptam reddere, aut æstimationem, de qua convenit; l. Plerumque 10. § 5. ff. de jure dotium l. 23. tit. 3. quia, ut ibi dicitur: Æstimatio venditio est.*

(47. Colligitur octavo, Commodatarium ad nullum damnum teneri, licet res commodata culpa nuncii, vel casu fortuito pereat, quando ipsam rem commodatam consigna-

vit ipsi nuncio a Commodante misso cum mandato, ut ipsam repeteret, et ferret. Tunc enim ipsa res commodata Domino perit ratione mandati per Commodantem dati de consignanda re commodata ipsi nuncio ad hoc misso; textu expresso *in l. Eum, qui rem § Sed et si dum, ff. hoc tit.* (48. Secus autem esset, si nuncius, vel famulus missus fuisset tantum commonendi causa, ut res commodata restitueretur a Commodatario, sine mandato, ut per eum mitteret; tunc enim Commodatarius tali nuncio, seu famulo rem commodatam consignans non excusaretur, si casu fortuito, vel dolo seu culpa illius nuncii res periret; *Bartolus in cit. leg. Eum qui § Sed et si dum, verb. Tertio; Pirhing cit. lib. 3. tit. 15. de Commodato num. 10. Reiffenstuel ibid. num. 35. et alii.* (49. Hoc tamen est intelligendum, si nuncius ille communiter pro fideli, ac idoneo non habeatur; *arg. cit. leg. Eum, qui 10. § Sed et si dum ff. loc. cit. et leg. Argentum 20. ff. hoc tit. Reiffenstuel loc. cit. num. 35.* (50. Commodatarius eligens ipse nuncium, seu famulum, per quem remittat Commodanti rem commodatam, si res commodata culpa nuncii pereat vel deterioretur, tenetur de omni damno; sibi enim imputare debet, quod talem malum nuncium, seu famulum elegerit; textu expresso *in cit. Leg. Eum qui 10. et leg. Sequent. de hoc rationem reddente his verbis præcisus: Qui non tam idoneum hominem eligit ut recte id (scilicet Commodatum) perferri possit.* (51. Et hoc est etiam intelligendum, si nuncius, seu famulus a Commodatario electus communiter pro fideli, ac idoneo non habeatur; nam si Commodatarius remisit rem commodatam per servum communi opinione pro fideli, et idoneo habitum, non cogitur restituere, licet res per servi dolum, seu culpam pereat, aut deterioretur textu expresso *in l. Argentum 20. loc. cit. ibi: Argentum commodatum si tam idoneo servo meo tradidisset ad te perferendum, ut non debuisset quis existimare futurum ut a quibusdam malis hominibus deciperetur; tuum, non meum detrimentum erit si id mali homines interceptissent.* Et id ipsa brevius, et clarius tradit *Bartolus in Summario ibid. his verbis: Si res culpa nuncii perdat, perit periculo Domini, si remittens non fuit in culpa malæ electionis; et tenet Zoesius in Comment. ff. hoc tit. num. 13. Azorius p. 3. lib. 7. de commodato cap. 8. qu. 1. Navarr. cap. 17. Manual. num. 185. Pirhing. loc. cit. num. 10. Reiffenstuel ibid. num. 37. et alii passim.*

(52. Colligitur nono, Commodatarium in casibus fortuitis v. gr. in incendio, naufragio, incursione hostium, et hujusmodi posse res suas pretiosiores præferre, et salvare præ alienis minus pretiosis, quando utrasque salvare non posset; in tali enim casu Commodatarius eripiendi propria, quæ magis pretiosa sunt, nihil restituere debet. Et ratio est, quia quilibet vir prudens, ac diligens, quæ pretiosiora sunt, anteponit minus pretiosis; Commodatarius autem non tenetur facere circa alienas res sibi commodatas, nisi quod diligentissimus faceret circa proprias; *l. In*

rebus; *ff. Commodati; adeoque, etc. Ita Glossa in l. Si ut certo, verb. solvere facere, ff. Commodati; Abbas in c. de Deposito n. 2. Angelus verb. Commodatum num. 16. Azorius p. 3. lib. 7. de Commodato cap. 7. q. 6. Lessius lib. 2. de justit. et jure c. 27. num. 23 et 27. Laym. Theol. Moral. lib. 3. tr. 4. c. 7. n. 7. Pirhing lib. 3. Decret. tit. 16. Reiffenstuel ibid. n. 40. Engel ibid. n. 9. et communis.* (53. Si vero res commodatæ pretiosiores sint rebus propriis ipsius Commodatarii, et in casu fortuito utrasque salvare nequeat, tenetur Commodatarius res alienas pretiosiores sibi commodatas salvare postpositis propriis minus pretiosis. Et ratio est, quia Commodatarius ex natura contractus commodati se tacite obligat ad exactissimam rei commodatæ custodiam; *lib. 1. § Is quoque, ff. de action. et obligat. ibi: Exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compellitur; et ad eam custodiam, qualem quisque prudentissimus Pater familiæ rebus adhibet; l. In rebus 18. ff. Commodati; sed quilibet Paterfamilias, et prudens, seu diligens, quæ pretiosiora sunt, anteponit minus pretiosis, et vilioribus relictis, quæ pretiosiora sunt salvat, ergo, etc. Ita Abbas in cit. c. 2. n. 2. de deposito; Angelus verb. Commodatum n. 16. Layman loc. cit. n. 7. Sylvester verb. Commodatum qu. 12. Reiffenstuel loc. cit. n. 34. et alii.* (54. Immo Commodatarius tenetur præferre, et salvare res commodatas relictis propriis, quando ambæ sunt æqualis pretiositatis, nec utrasque salvare potest; *l. Si ut certo § Quod vero, ff. Commodati, ibi: Proinde et si incendio vel ruina aliquid contigit, vel aliquod fatale damnum, non tenebitur, nisi forte cum res commodatas salvare facere possit, suas prætulit.* Et ratio est, quia in pari causa magis convenit Commodatarium, in cujus solius gratiam contractus institutus fuit, ex fortuito casu damnum sustinere, quia ut Jure cautum est *in l. 1. § Is quoque, ff. de actionibus, et obligationibus. Nec ei (Commodatario) sufficit eam diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibet; et tenet Sylvester verb. Commodatum qu. 12. sic dicens: Sed si erant pretiositatis, si Commodatum factum est causa sui (Commodatarii), non potest præferre suas.* *Lessius lib. 2. de justit. et jure cap. 27. num. 29. Layman l. cit. n. 7. Pirhing lib. 3. decret. tit. 16. n. 18. Reiffenstuel, ibid. n. 42. et alii.* (55. Commodatarius, si in casu fortuito omnes res salvare non potest, potest præferre res suas si utiles sint, et ipsas salvare, relictis rebus Commodantis, quando Com-

COMMUNIO.

SUMMARIUM.

1. Communio populi infra Missam non est de præcepto. — 2. Ex justis causis prohiberi potest. — 3. 4. De Communionem sub utraque specie apud Græcos.

(1. Communio populi infra Missam non est de præcepto. *Benedict. XIV. tom. 1. Con-*

(1) Vide opus Neapoli an. 1774. editum hoc titulo: *Dissertatione Teologica Critica del P. F. Giuseppe Maria Elefante Maestro in Sagra Teologia nella*

modatum factum est in gratiam solius ipsius Commodantis; *l. Si ut certo § Interdum, ff. Commodati, l. Quod Nerva in fin. de deposito; et tenet expresse Sylvester verb. Commodatum qu. 12. et alii.* (56. Sic etiam potest Commodatarius res suas præferre, et salvare præ rebus commodatis, quando utrasque salvare non potest, etiamsi Commodatum factum sit in gratiam utriusque, ut tenet similiter Sylvester loco citato his præcisus verbis: *Si vero gratia utriusque, similiter potest præponere suas, quia cæteris paribus, debet plus se, et sua diligere, quam alium, et aliena; et Glossa in l. Si ut Certo § quod vero ff. Commodati, verb. salvas facere; Bartol. ibid. et favet multum Abbas in cap. 2. n. 2. de deposito; Reiffenstuel tit. 16. n. 42. et alii.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(57. Si pluribus simul res commodata sit, contra singulos in solidum actio Commodati datur, (58. nisi aliud placuerit ab initio, ut placuit dum convenit, ut res commodata esset pluribus periculo communi, id est ut unusquisque præstaret partem. *L. 21. § 1. ff. Commodat.*

(59. Deficiente vero conventionem hac, singuli tenentur in solidum, ita ut duo quodammodo rei habeantur, et si alter conventus præstiterit, liberetur alter, electione Commodanti tributa, quem convenire velit. *L. 5. § ultim. ff. eodem junctis lib. 3. et lib. 11. ff. de duobus Reis constituend.* (60. Nisi unus solus pro re commodata sibi furto subducta, egerit furti, permittente secundum jus novissimum Commodante, et furti actioni renunciantem; tunc enim, si alter conveniatur qui furti non egit, et paratus sit periculo suo conveniri alterum qui agendo furti lucrum ex re commodata sensit, audiendus et absolvendus est. *L. 7. princip. ff. eodem pariter titulo.*

(61. Quin et si ex duobus ejusdem rei Commodatariis unus rei in solidum restituendæ facultatem habeat, æquum haud est, alterum de rei restitutione conveniri; (62. et quum plures hæredes sunt ejusdem Commodatarii, unus vero ipsorum totam rem possidet, atque ita solidæ rei restituendæ facultatem habet, solus is damnari debet, quasi hoc conveniat arbitrio boni judicis: (63. uti et tunc quum unus eorum non ex defuncti, sed proprio facto hac actione interpellatur, licet alioquin ita jus sit, ut hæredes Commodatarii singuli pro ea tantum parte, qua hæredes sunt, conveniri debeant. *L. 3. § 3. L. 17. § 2. ff. d. tit.*

— 5. Communionis Paschalis tempus prorogatur pro incolis Servie. — 6. Ad primam Communionem admitti non debent pueri in doctrina christiana non satis edocti. — 7. Alia ad rem. *Remissive.*

stitut. 64. incip. *Certiores.* (2. Et justis ex causis prohiberi potest. *Idem ibid. (1)*

Provincia di Puglia, detta di S. Tomaso dell' Ordine de Predicatori, in risposta all' Anonimo Italiano Autore del Catechismo sulla Communionem dell' Augustis-

(3. Communio sub utraque specie toleratur pro Græcis, ubi viget consuetudo. Idem *Constit.* 57. incip. *Et si Pastoralis* § 6. (4. Quæ tamen consuetudo alibi introduci prohibetur. (5. Idem *ibid.* Communio Paschalis tempus prorogatur pro incolis Servie. Idem *Constit.* 39. incip. *Inter omnigenas* § 21. (6. Ad primam Communionem admitti

COMMUTATIO LEGATORUM PIORUM.

Vide Verb. LEGATUM a num. 143. ad 165.

COMOEDIE.

ARTICULUS ROMANI THEOLOGI.

SUMMARIUM.

1. De Comædiarum origine. — 2. Sancti Ecclesiæ Patres unanimi consensu Comædias improbarunt. — 3. Interdicta quoque hujusmodi spectacula a Conciliis fuere sub gravissimis pœnis. — 4. Hujus prohibitionis causa affertur. — 5. An ea seclusa Comædias Patres interdixerint. — 6. Si Comædiæ

De comædiarum apud christianos usu, et quanam licitæ, quanam vero illicitæ, patrum, theologorumque auctoritate comprobentur.

(1. Comædiæ a superstitionis gentibus originem trahunt, et primum apud Græcos, deinde apud Romanos usurpatæ fuerunt. Veluti moribus, ac publico bono noxias improbat Platō *lib. de Republica*, ac damnarunt etiam nonnulli Romanorum sapientes. De earum origine, vicissitudine, et mutationibus egregie scripsit Vir cl. Jo. Antonius Bianchi Ordinis Minorum de Observantia in Opere nomine *Laurisii Past. Arc.* Romæ vulgato anno 1753. Vide præfationem ejusdem Operis.

(2. Sancti Ecclesiæ Patres unanimi consensu Comædias improbarunt, atque uno omnes ore clamant vetitum Christianis esse, non solum Actores, sed etiam spectatores in Comædiis esse. Patrum hac de re sententias collegit, et accurate recensuit omnes P. Daniel Concina in Opere de spectacu-

simo Sacrificio della Messa: cujus quidem Anonymi Catechismum, et cætera Opuscula, quibus traditam in Catechismo opinionem indicatæ Benedicti XIV. Constitutioni adversam, et cum recepta in Ecclesia disciplina pugnantem, tueri nitentur, sacra Indicis Congregatio proscripsit. Consulito Indicis novissimi librorum prohibitorum Appendicem tertiam verb. *Communione del Popolo nella Messa.* (Edit. Barbiell.)

(1) Olim vox isthæc non eadem notione accipiebatur, ut nunc visitur; nunc enim vulgari acceptatione vox isthæc redacta est ad solam Eucharistiæ perceptionem designandam. Atqui antiquitus multo latius vocis prædictæ significatio protendebatur; quod vel ex eo luculentissime patet, quod olim Pœnitentes recipiebantur, aut admittiebantur ad Communionem, cum tamen ipsis Eucharistiam sumere nondum liceret. Itaque vox *Communio* designabat omnem consuetudinem, ac societatem, quam fideles invicem habebant, sive in rebus Sacris, sive in aliis, quæ ad humanæ vitæ necessitatem pertinebant; et Jus istud *Communio* situm erat in omnium istorum participatione. Unde *Excommunicati*

non debent pueri in Doctrina Christiana non satis edocti. Idem. *Const.* 42. incip. *Et si minime* § 9. (1).

(7. Alia ad rem, vide verb. *Eucharistia* n. 40. 41. 42. verb. *Missa* art. 11. a. n. 7. ad 46. et art. 14. n. 22. 23. nec non *decreta* S. R. C.

inhonestæ, turpes obscenæque sint, nefas Christianis est representare, vel audire. — 7. Actores, cooperantes, spectatoresque gravis culpæ sunt rei. — 8. 9. Approbatur censura Benedicti XIV. in Auctorem. — 10. Animadversiones Auctoris in Articulum Romani Theologi. — 11. Comædi sunt infames, et irregulares. — 12. Alia de Comædiis. *Remissive.*

lis Theatralibus, easque indicaverat antea Natalis Alexander in *Hist. Eccles.* 4. *Sæculi* cap. 6. art. 3. atque inter alios inculcaverat Hieronymus Florentinus Congr. Matris Dei Theologus in Opere inscripto *Comædo-Crisis* etc. ubi observat, nuncupatas a Patribus fuisse *sacrarium Veneris, impudicitie consistorium, Dæmonum inventum, pudoris publici lupanarium, obscenitatis magisterium, schoolam fœditatis, et lascivie et fornicationis gymnasium, intemperantiæ, et inhonestatis exemplar.*

(3. Interdicta quoque hujusmodi spectacula a Conciliis fuere sub gravissimis pœnis. Vide Concilium Illiberitanum *Canone* 62. et 67. Arelatense 1. *Canone* 5. Carthaginense 3. *Canone* 2. Carthaginense 4. *Canone* 88. Concilium Africanum *Canone* 28. vel 61. secundum Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ, Arelatense 2. *Canone* 20. Trullanum *Canone* 51. Cabilonense 2. *Canone* 20.

(4. Cum apud Gentes superstitionosa essent hujusmodi spectacula, quod in falsorum Num. num obsequium plerumque fierent, ac

dicebantur, qui omnibus hisce in pœnam criminis privabantur, atque a communicatione cum cæteris fidelibus etiam in rebus civilibus excluderentur; quod ex antiquis Canonibus evidentissime demonstrat Albaspinæus *Observat. Ecclesiast. lib. 1. Observat. 1.* atque satis luculenter innuitur in *cap. Nuper 29. de Sentent. Excommunicat.* Hinc divisio illa in *Communione Laicam et Ecclesiasticam*, de qua jam antea dictum est. Hinc etiam *Peregrina Communio*, qua plectebatur in Clericos contumaces, et qua ejecti a Clero, atque expuncti ex albo cæterorum Clericorum cum iisdem communicare prohibebantur, et sui criminis pœnas hac ratione luere cogebantur, donec resipiscerent. Vide laud. Albaspinæum *loc. cit. Observat. 3.* Hinc etiam illud *communicare sine Oblatione* erat, cum quis ex Pœnitentibus ad societatem cum cæteris fidelibus in precibus admittetur; sed ex ejusdem manibus munera, et oblationes recipere interdictum erat, quemadmodum et Eucharistiæ perceptione privabatur. Qua de re fuse idem Albaspinæus *loc. cit. Observat. 6. et lib. 11. Observ. 25.* Vide etiam hanc in rem *Observat. 8 ejusd. lib. 11.*

etiam obscenitatis plena essent, facile intelligere est, qua de causa ab antiquis Patribus, et Conciliis tam severe Christianis prohiberentur. (5. Num vero iis etiam seclusis, theatralia spectacula, atque Comædias Patres interdixerint, quæstio inter Theologos est. Natalis Alexander loco supracitato, et docti quamplures Galli Theologi, atque P. Concina, tum in laudato Opere, tum in alio italiane deinceps scripto, opinantur omnem omnino Comædiam Patres damnasse veluti Christianæ professionis inimicam. Atque inferunt Christianis omnibus illicitum esse spectaculis hujusmodi interesse, iisque delectari, et contra solemne illud fœdus agere, quod cum Deo in Baptismi susceptione inierunt, abrenuntiando *Satanæ, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus.* Satanæ enim abrenuntiatione, inquit, Christianos profiteri idololatriæ detestationem, abrenuntiatione operum Satanæ, detestationem eorum omnium, quæ naturæ ac Dei lege prohibita sunt, hæc enim cum peccata sint, opera Diaboli dicuntur; abrenuntiatione denique pompæ Satanæ, detestationem illarum rerum atque functionum, quæ vanitatem, concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis, et superbiam vitæ foveant, et excitent. Ita enim professionem in Baptismo factam explicari a pluribus antiquis Patribus ostendit Concina in Operibus supra citatis; ubi laudat Tertullianum *lib. de Spectaculis* c. 25. Cyrillum Hierosolymitanum *Catechesi* 1. Jo. Chrysostomum *hom.* 21. ad Populum Antiochenum, Ephræmum Syrum, Cæsarium Arelatensem, aliosque. Contra vero Florentinus supracitatus, Manzus, Ludovicus Antonius Muratori, Scipio Maffejus, ac noster Joannes Antonius Bianchi, alique quamplurimi contendunt, non omnes omnino Comædias improbatas a Patribus fuisse, sed eas tantum, quæ superstitione, et obscenitate aliisque defectibus scaterent, qui morum innocentie adversarentur. Id enim unice ex modo, quo Sancti Patres loquuntur, argumentari potest, ut vel ex ipsis nominibus colligere est, quibus nuncupatas ab ipsis Comædias diximus. Si enim Comædiæ argumentum morale sit, et honestum, quod nil morum innocentie adversum habeat, nil in eis occurrit, per quod dici possit *sacrarium Veneris, et impudicitie consistorium*, atque alias hujusmodi appellationes habere, quibus detestatæ a Patribus Comædiæ nuncupantur. Audiatur Florentinus supracitatus, qui conclusionem primam ita proponit: « Licet sine peccato componere Comædias, in quibus argumentum est vel indifferens, vel honestum, et ad ejus representationem nulla adhibentur vel facta, vel verba illicita, et immodesta, seu etiam alicui nociva. Licet etiam eodem modo Actoribus illas recitare, et auditoribus interesse; habito tamen respectu, et adhibita debita moderatione quoad circumstantiam loci, temporis et personarum. Hæc Conclusio est S. Thom. 2. 2. *qu. 168. art. 2. et 3.* et omnes illam defendunt tamquam communem. » Nec rem demonstratū difficilem arbitror. Fac enim, in Comædia rem sacram exhiberi,

morale argumentum esse, nil vero in Actoribus occurrere, quod vitia foveat, sed omnia ad vitii detestationem, virtutisque commendationem ordinata esse, juxta artis Poeticæ regulas, quid in ea deprehendas Christianis illicitum? « Officium Histrionum, inquit S. Thom. *loc. cit.* quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendam, non est secundum se illicitum: nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, id est non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis. » Atque ludum hujusmodi pertinere ad virtutem Eutrapeliæ post S. Thomam tradidere S. Antonin. *part. 2. tit. 2. § 2. Sum. Theolog.* Card. Cajetanus, Sylvester alique. Si ergo Comædia ratione argumenti honesta, vel indifferens sit, ac loco, tempore, congruis personis, et gestis, ac verbis honestis exhibeatur, quid in ea erit ab illo Histrionum ludo diversum, per quod illicita fiat? Numquid Theatrales pompæ? At hæc natura sua malæ non sunt, sed indifferentes, et ad solatium hominibus exhibendum aptæ quam maxime sunt. Res autem indifferentes licite ad humanæ conversationis solatium adhibentur, ex eodem S. D. loco citato. Dicent fortasse, delectare has homines, atque vanitatem fovere. At delectatio ex licito ludo, quæ recto fine percipiatur, vitia homini Christiano non est. Neque pompæ, quæ honestam Comædiam exornent, vanitatem homine Christiano indignam foveant. Si enim hæc licitam, atque honestam animæ recreationem pariant, ac delectationem, quæ ad Comædiam illam attentionem conciliet, quæ optimis morum præceptis instructa sit, cujusque finis sit homines ad vitii detestationem, atque virtutem sectandam movere, et allicere, non video, quid in illis pompis reprehendi valeat: si peccatum non sit penes sumptus aliis Christianis virtutibus contrarios, de quibus in præsentia non disputamus. Hoc in sensu Auctores, qui licitum Theatrum propugnant, Diaboli pompæ esse Comædias negant.

(6. Si Comædiæ inhonestæ, turpes, obscenæque sint, nefas Christianis est easdem representare, vel audire. Inhonestæ dicuntur, quæ vel quidpiam continent morum præceptis contrarium, vel turpes, obscenæque res exhibent, vel obscenæ verbis, aut actibus exprimentur. Hæc malæ sunt atque illa etiam naturæ lege prohibita, qua scandalum prohibetur. Non solum enim præceptis illis contrariæ sunt, quæ inhonestos, ac turpes actus prohibent, sed etiam occasiones sunt ruinæ spiritualis proximi, cum inhonesti, turpes, obscenique actus, fabulis, aut verbis ad inhonestam, atque turpia eo fortius homines alliciant, et trahant, quo vividius, ac majori cum apparatu exhibeantur. Hinc nemo negat, graviter peccare Actores, qui hujusmodi spectacula exhibeant. Non solum enim publicæ ac palam rei operam dant illicitæ, atque turpi, sed etiam actionem exercent, quæ in Spectatoribus pravos affectus, et gravia peccata natura sua excitat, atque parit. Et sane si prava colloquia, et studiosa

pravorum librorum lectio, præsertim dum coram multitudine fiant, excusari a gravi culpa non possunt, quis excusabit a gravi culpa publicam fabulæ repræsentationem, inter Theatri pompas, et apparatus, a gravi peccato? Hæc enim fortiora sunt ad vitia incitamenta.

(7. Sic Actores, cooperatores, spectatoresque gravis culpæ sunt rei. Nam et ii in actionem illam moraliter influunt, quæ natura sua nata est depravare hominum mores, ut manifestum est. Actores voco, qui composuere Comœdiam; cooperatores, qui mimos, ac mimas, saltatoresque dirigant, mercede illos conducant, vel alia præstent ad operam conducentia. Ad spectatores quod attinet, præterquam quod approbant rem illicitam, et solvendo pro audiendis, inspiciendisque Comœdiis pretio, morales illius causæ dicuntur, quia pretii solutione ad operam illicitam exercendam venales mimos movent, periculo etiam peccandi sese exponunt, atque alios exemplo suo in huiusmodi periculum trahunt. Qui vero se libere exponit occasione peccandi, etsi non peccet, gravis culpæ reus est, ex Theologorum omnium sententia (1).

(8. Atque hinc facile patet, quam æqua censura sit sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. qua in Opere de Synod. Dioces., lib. 11. c. 10. ita Auctorem nostrum reprehendit: «De mimis porro laxa ne dicam aperte erronea, et scandalosa est doctrina, quam tradit Lucius Ferraris in sua Bibliotheca Canonica tom. 2. verb. Clericus art. 4. n. 17. edit. 1. ubi etsi fateatur non esse Clericis permittendum comicos agere, seu Comœdiarum actores esse, attamen a gravi culpa eosdem absolvit Comœdias spectantes quantumvis turpes, atque obscœnas, dummodo ex illarum auditione nullum sibi imminere prævideant probabile periculum lapsus, eorumque præsentia nullum in Populum ingerat scandalum.» Verum, ait, si Comœdiæ audiantur ob solam vanam curiositatem absque periculo probabili lapsus, etiamsi res turpes repræsententur, et modus repræsentandi sit turpis, probabilius est, non esse peccatum mortale, cessante scandalo, quod modo videtur cessare, et non esse, quia frequentissimum est Clericos Comœdiis interesse. *Quis est, qui non intelligat rerum obscœnarum vel solam narrationem pravos animi motus in audientibus excitare, eosque sensim ad interitum disponere, juxta illud Apostoli effatum 1. ad Corinth. 15: «Corrumpunt mores bonos colloquia mala?»* Qua igitur ratione, quo pacto evenire poterit, ut suæ spiritualis ruinæ periculum declinet, qui earumdem turpium rerum theatri interest repræsentationi, quæ plus certe efficacitatis habent ad spectatorum mentes perturbandas, animos commovendum, et tandem ad peccatum inducendum? Quocirca etiam mollioris ethices sectatores ejusmodi Comœdias

(1) Dignum est, quod legatur Opusculum Italico idiomate Romæ in Typographia Palearinorum An. 1734 impressum cui titulus: *Consultatione Teolo-*

damnant, et nedum Clericos, sed laicos quoque eas inspicientes vix umquam gravem culpam evadere, communi calculo docent cum D. Thoma in 4. dist. 16. qu. 3. art. 2. *quæstione. 2.* » Ad secundam quæstionem dicendum, quod huiusmodi spectacula, si sint rerum turpiur, et ad peccatum provocantium, studiosa eorum inspectio peccatum est, et quandoque in eis tanta potest libido adhiberi, ut sit etiam mortale: unde a tali inspectione omnes se arcere debent

(9. Palinodiam Lucius cecinit, ut legere est in Biblioth. Sed tot ibi congerit Probabilistarum auctoritates ad se excusandum, ut suspicari possit, voluisse hac via ostendere, recitatum ab ipso opinionem, Pontificia probabilitatem ac plausibilem esse, præsertim iis, qui ex numero auctorum opiniones metiuntur. Ne vero huiusmodi apparatu lectores decipiantur, observandum hic duximus: 1. Summo Pontifici, dum pronuntiavit laxam hanc opinionem, exploratas jam fuisse probabilistarum sententias, atque etiam has censura perstrinxisse. 2. Turpes et obscœnas Comœdias eas esse, quas Patres supracitati damnarunt, ac opera, pompasque Diaboli dixerunt, quibus Christiani abrenunciaverunt in receptione Baptismi. 3. Plura Concilia non solum antiqua, sed etiam recentia sub excommunicatione, aliisque Ecclesiasticis penis turpes obscœnasque Comœdias populo interdixisse. 4. Denique rationes num. 6. a nobis allatas satis ostendere, turpes Comœdias naturæ esse lege prohibitas ac graviter peccare tum actores, tum spectatores illarum. Hæc omnia perspecta, atque rite examinata fuere a sapientissimo Pontifice Benedicto XIV. dum censuram in hanc Probabilistarum opinionem tulit.

Aiunt recensiti a Lucio Probabilistæ, abolitò contraria consuetudine esse Canones, quibus Clerici Comœdiis interesse prohibentur, atque hos ab omni culpa excusari, quia frequentissimum est Clericos Comœdiis interesse. Numquid vero licita usu et consuetudine fieri potest actio naturæ lege prohibita, atque ad ruinam animæ spiritualem contendens? Huiusmodi vero est repræsentatio, atque auditio turpis obscœnæque Comœdiæ, ut supra diximus. Rursus si Clerici spectatores sint, homines scilicet in Dei sortem vocati, sacro Altari addicti, ac illius status, in quo ad altioris virtutis gradum adstringuntur, quis eos a gravi culpa excusabit, dum libere peccandi occasione sese exponant; dum turpem, obscœnamque operam præsentia sua probent, et dum alios exemplo suo ad id alliciant, et provocent? Numquid contraria consuetudine debitum tolli potest, quod ex proprii status obligatione enascitur; ac licita fieri actio, quæ maxime indecens proprio statui sit? Huiusmodi vero sunt turpes, obscœnæque Comœdiæ ad Clericos comparatæ.

Audiant hic benigniores Casuistæ Sancti

gico-Morale se Chi interviene per necessità ai Teat publici vi possa intervenire licitamente, e in qual maniera. (Edit. Barbieri.)

Caroli Borromæi sententiam a tot deinceps Pastoribus in suis Ecclesiis inculcatam. In Concilio 3. Provinciali Mediolanensis Ecclesiæ hæc statuit, quæ legi possunt in Actis ejusdem Eccl. par. 4. pag. 400. «Publicorum peccatorum illecebras, quas homines depravata consuetudinis errore decepti pro nihilo putant, concionator perpetuo reprehendat... spectacula, ludos, lubricasque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, disciplinæque Christianæ adversantur, perpetuo detestabitur, execrabitur. Demonstrabit incommoda, publicasque ærumnas inde in Christianum Populum emanare. In quam sententiam valde Populum confirmabit argumentis, quæ viri gravissimi Tertullianus, Cyprianus Martyr, Salvianus, et Chrysostomus afferunt. In eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela extirpetur. Choreas, saltationes, ac tripudia, e quibus mortiferæ cupiditates excitantur, de suggestu sæpe graviter reprehendet, atque insectabitur. Scenicæ, personatæque actiones, unde tamquam e quodam seminario semina malefactorum ac flagitiorum pene omnium existunt, quam a Christianæ disciplinæ officii abhorrentes, quam valde cum paganorum institutis convenientes atque Diaboli astu inventæ omni officio a Populo Christiano exterminandæ sint, qua maxima poterit religiosa contentione ager. Omnem in muliebri vestitu luxum, caudatas vestes, superbum ornatum, deformem illam ornandi speciem, muliebres fucos, ac pigmenta, cæteraque ad mollietatem, atque adeo ad libidinis incitamentum fœde excogitata, omni persuasionum vi, et argumentorum quasi telis oppugnabit. Quæ multa subministrant magni illi Ecclesiæ viri Cyprianus Martyr, Augustinus, et Ambrosius in primis.»

ANIMADVERSIONES AUCTORIS.

(10. In hoc Articulo de Comœdiis a se de novo addito, immerito exaggerat R. Theologus contra ea, quæ a me tradita in prima Editione in verb. *Clericus art. 4.* retractaveram jam in *Supplemento* ad idem verb. in editionibus posterioribus, ubi post adductos Auctores, quos fueram secutus, tandem sub num. 31. ingenue subdidi: sed quidquid de illis, prævio recessu a sequela ipsorum, quod scripsi *loc cit. num. 17. et 18.* expunctum penitus volo. Unde cum ibi clarissime mentem meam aperuerim, et in claris nulla admittatur interpretatio ex communi post Gloss. in. c. *Quum dilectus 8. de consuetudine, verb. nec juri communi*, et colligitur ex l.

COMPENSATIO

SUMMARIUM.

1. Compensatio quid sit. — 2. Compensatio, si debita adsint conditiones, est licita. — 3. Ad hoc, ut Compensatio occulta sit licita, requiruntur plures conditiones. Et prima est, ut debitum sit certum. — 4. Secunda, ut debitum sit strictum, et proprie dictum debitum. — 5. Tertia, ut res non possit alia via recuperari, vel saltem non absque notabili molestia. — 6. Quarta ut non fiat Compensatio in re alterius, sed in re ipsius Debitoris. — 7. Quinta, ut fiat

Licet Imperator 74. de legat. 1. et l. Ille, aut ille, 23. de legat. 111. nescio quo animo voluerit falso interpretari mentem meam jam aperte manifestatam, eamque torquere in sensum obliquum, et a veritate aberrantem. Voluisset potius serio perpendere propositionem meam, et invenisset illam, prout a me traditur, restrictam, ac modificatam quatuor illis adjectis conditionibus, non tantopere, ut exaggerati, pugnare cum auctoritatibus, aliisque a se ibi adductis. Præterquam quod debuerat animadvertere criticus Theologus, quod Benedictus XIV. immortalis memoriæ Pontifex, in sua censura loquitur ut merus Doctor privatus, ut ipsemet testatur in præfatione primi sui tom. de *Synodo Diocesana §. Prima hujus Operis* præcisus his verbis: «At ubi neque a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, neque a Nobis in Bullario, aut alibi Apostolica auctoritate quidquam definitum est, ac generaliter omnibus in rebus, quibus nullum ex publica auctoritate pondus accessit, nihil nos definire, ac veluti decretorium exhibere intendimus... libentique animo subscribimus doctrinæ Scriptoris egregii Melchioris Cani, qui lib. 6. de locis theologis, cap. 8. in responsione ad nonum argumentum, de libris agens, qui a Summis Pontificibus conscripti publicantur, hæc ait: *Cum edunt libros de re qualibet Romani Pontifices, sententiam suam ut homines alii docti expriment, non tamquam Ecclesiæ Judices de Fide pronuntiant.*» Magnus ille Prædecessor noster Innocentius IV. Commentaria sua in Libros Decretalium scripsit, quum summum Pontificatum gereret... Neque profecto Innocentius hoc sibi unquam arrogavit, quidquid in eo opere scripsisset, pro re definita haberetur, sed facile passus est opiniones suas, quas tamquam privatus Doctor proposuerat, ab aliis Doctoribus oppugnari, ut patet ex ipsa, quam citavimus, illius vita, multoque magis ex ea, quam sibi amplissimam hac in re licentiam sumpserunt Canonistæ, dum sententias ab Innocentio suis in Commentariis insertas sæpe deserere, et in alia omnia ire non dubitarunt. Hæc ille ad literam, quæ si attendisset Theologus noster, tam acri stylo forsitan non perstrinxisset, quæ tradideram opportunis jam restrictionibus moderata.

(11. Comœdi sunt infames, et irregulares; vid. verb. *Infamis n. 11.* et verb. *Irregularitas art. 1. n. 11.* vers. *Octava.*

(12. Alia de Comœdiis; vid. in verb. *Clericus, art. 4. n. 16.* et verb. *Luxuria n. 87.*

sine periculo scandali, seu sine periculo damnificandi ipsum debitorem, vel ejus hæredes. — 9. Septima, ut in Compensatione non plus accipiatur, quam revera debetur. — 10. Octava, ut fiat sine præjudicio tertii. — 11. Affertur ad id exemplum. — 12. Affertur ad aliud exemplum. — 13. Pro foro externo varia sunt dubia a Jure excepta, in quibus Compensatio non potest fieri etiamsi adsint conditiones requisitæ ad occultam Compensationem, et alia via talia debita obtineri nequeant. — 14. Primo,